



## CONTENTA.

**I**N primo capite status Quæstionis proponitur. Et Leges Naturæ omnes ad unam de Benevolentia erga Rationales omnes reducuntur, ejusque sanctio ex effectis ab Auctore Naturæ tali Benevolentia annexis breviter indicatur. Ostenditur etiam methodus quâ dictamina de effectis Benevolentia universalis, actuumque sub eâ contentorum (qui sunt Divisio rerum, operarumque humanarum inter omnes, fidei data observatio, Gratitude, sui prolisque cura) reducantur ad idoneam similitudinem cum Propositionibus Matheseos Universalis de effectis Computationis Mathematicæ quâ omnes quantitates inter se conferuntur. Inde verò deducitur, & earum veritatem, & impressionem in mentes nostras fieri à Primâ Necessariorum omnium effectorum Causâ simili ratione innotescere. Hæc decem sectionibus primi absolvuntur. Ostenditur *Sect. 11, 12.* Hobbium & modò dictis & sibi met ipsi adeò repugnare, ut in Atheismum ruat & neget ullas Leges Divinas propriè dictas vel è naturâ rerum disci posse, vel è sacris Scripturis nisi Revelatio cuique particulariter detur, quòd Scriptores sacri fuerint Prophetæ. Deinde usque ad finem *Sect. 15.* probatur Propositionis nostræ Generalis veritatem manifestò cognosci è phænomenis ubique vulgo agnitis, eamque ab ipso Hobbio ut sibi constat, agnoscendam esse *Sect. 16.* Postea ostenditur Philosophicâ notitiâ Causarum Naturalium quæ

b

effe-